

annos non solum translationis suae memoria nulla ageretur, sed nec natalis eius dies, qui^a alio loco festivius quam a nobis festive celebretur, quousque ante annos, ut reor, octo quidam congregationis nostrae frater, tunc quidem celerarius satis cautus, nunc autem Brülensis¹ abbas, nomine Wisilius, hoc ab abbate illius temporis et a fratribus suis exegit, ut vel officium plenum de sancto Dyonisio agerent. Quo impetrato, nichil amplius venerationis de eo actum est, donec nuperrime, anno videlicet ab incarnatione millesimo quadragesimo nono, sub tertio eiusdem nominis presule Gebhardo² et abbate Reginwardo³ dissensio quedam inter nos suborta est, dicentibus quibusdam, maximum loci huius esse periculum, quod tempore tanto sanctissimi patroni nostri Dyonisii festa veneratione debita minime agerentur, dicentibus aliis, non oportere sub temporibus istis hoc publicari, quod patres nostri hucusque voluerunt celare. ‘Nonne’, inquit, ‘locus iste ideo pene est iam destructus, quia in rebus suis constat diffamatus? An non invidia maxima cunctis loci huius persecutoribus^b potest ex hoc inolescere, quod tanti thesaurum corporis audiunt hic requiescere? Quanti celebres sanctique patres nos in loco hoc precesserunt, qui talia occultare quam manifestare maluerunt!’ Cumque huiusmodi dissensio inter nos aliquantulum esset, abbas aliique fratres nonnulli in consilio superiori consistentes censuerunt, primitus quidem cum omni diligentia venerabilium ossium integritatem culturamque debere investigari, quo facto, quid deinde faciendum sit, cito posse diffiniri. Et accedens abbas una cum fratribus paucis, quorum etiam unus ego, qui hoc scribo, ut eo veracius^c, quo magis intererem, affirmare possim, cum veneratione debita locum aperuimus et in eo non solum supradicta^d martiris ossa omnia in uno, ut olim reposita sunt, sacculo atque singula dexterae partis ossa cum literis alligatis notata oculis nostris vidimus, manibus nostris, licet indignis, contractavimus, sed etiam aliorum sanctorum reliquias reperimus, inter quas sancti cuiusdam nomine Terengarii^e brachium inventum est. Ex cuius videlicet sancti nomine numquam hactenus in tot Germaniae provinciis audito partim argumentabamur, quia, sicut postea a quodam de Galliae partibus adveniente accepimus, idem brachium cum sancti Dyonisii corpore de Galliae partibus constat translatum. Epistola autem non in sacculo, sed postmodum in loco secretissimo reperiebatur, id est prope tumultum^f sancti Emmerammi,

a) quid alia loca c. b) perseductoribus c. c) vera cicius c.
d) supradicte c. e) so c. wohl für: Berengarii. f) titulum c.

1) Bruehl in Baiern, B. Stadthof. 2) Von Regensburg. 3) Regiert von 1048—1064.